

Cum a Guillelmo superius memorato fidei sacramentum de Insula Sardiniae sibi, suaeque Ecclesiae delatum recepisset, reprehensus graviter est anno 1205. ab Innocentio, qui in suis litteris plurimum ea de re se mirari ait, cum ad Romanae Ecclesiae jus, supremumque dominium Sardiniam pertinere ipsi Episcopo [Ubaldo] compertum esset, magisque se commotum subiungit, quod eundem virum ab eiusmodi sacramento ut imperaret absolvere neglexisset, quapropter ne cunctetur amplius monet, minasque intendat (1); cumque nihilominus idem ipse Ubaldo non obtemperasset, anno veniente Pontifex minacioribus litteris eidem iussit, ut mandata faceret, vel ut saltem intra mensem vel ipse, vel alius procuratoris jure, ac nomine ab ipso missus Apostolicae Sedi se sisteret (2).

Non dubito, quin Ubaldo multa fecerit pro Ecclesia, & populo sibi commisso, sed eorum memoriam abolevit vetustas. Mihi tantum constat, anno 1177. iussisse hominibus oppidi *Blentinae*, ita exigente Ecclesiae Pisanae utilitate, ut habitarent in determinato loco Orientem versus, eis in feudum dedisse quaedam bona, & ab illis fidei sacramentum accepisse (3). Anno 1199. mandasse Castrum Moronae Consulibus, ne quid unquam tentarent contra honorem suum, vel Archiepiscopatus Pisani (4). Anno vero sequenti construere coepisse Campum religiosum, ac sanctum vel usque ex Hierosolymis terra Pisas transportata, de quo alio in loco agam diligentius; & post quinquennium 3. calendas Aprilis Loctario Eremitae, ejusque

(1) Raynaldus T. I. *continuat. Annal. Eccles. ad ann. 1205. n. 66.* Confer etiam Innocentii litteras ad Judicem Calaritanum *lib. 2. Decretal. tit. 24. cap. 22.*, & ad Archiepiscopum Pisenum *lib. cit. tit. 26 cap. 17.*, quas ex earum lectione constat ad Ubaldum missas fuisse, non vero ad illius successorem Loctarium, quemadmodum existimant Pithoei Fratres *pag. 116.* ut qui ajunt scriptas an. 1212., & Grandius *in notis ad monumentum 47.*

(2) Idem Raynaldus *ad ann. 1206. n. 26.*

(3) Instrumentum in *Append. monum.*

(4) Apud Muratorum T. III. *Antiq. Ital. &c.*